


OJ
INTER FOLIA FRVCTVS

DE SACRORUM PRIVATORUM MORTUI CONTINUANDORUM APUD ROMANOS NECESSITATE.

COMMENTATIO

QUA

AD AUDIENDAM ORATIONEM

PROFESSIONIS JUR. EXTRAORDINARIAE

ADEUNDAE CAUSA

IN AUDITORIO JURIDICO

DIE XXVI. SEPTEMBR. A. MDCCCXXVII. H. IX.

HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

Dr. CAROLUS GUILIELMUS ERNESTUS HEIMBACH.

LIPSIAE,

EX OFFICINA GUST. NAUMANNI.

De sacrorum privatorum mortui continuandorum necessitate ad locum Cic. de Legg. II. 19—21.

§. 1.

De sacris Romanorum privatis eorumque in jure vi atque auctoritate multi exposuerunt. Maximam difficultatem fere omnibus attulit locus Ciceronis *de Legg. II.* 19—21. qui quum textu maxime sit corruptus, tum vero etiam sensus obscuritate laborat. Ibi enim sacrorum privatorum cum pecunia conjunctio Pontificum auctoritate introducta consideratur et classes personarum enumerantur, ad quas deinceps cum patrimonio onus sacrorum devolvitur. Ipse Cicero auctor est, duplicem extitisse de personis sacris onerandis sententiam, alteram antiquiorum Pontificum, alteram M. Scaevolae Pontificis Maximi. In loco Ciceronis explicando elaborarunt plures, quos enumeravit Hauboldus in *Lineam. Inst. Jur. Rom. priv.* a Cl. Ottone Lipsiae 1826. editis *pag.* 112. Judicium de iis tulit *Cel.* Savignius *Ueber die juristische Behandlung der sacra privata bei den Römern* in *Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft. Tom. II. pag.* 365. *not.* 5. cujus scriptiuncula modo citata optimam si-

mul continet huius loci difficillimi explicationem. Quam praeter locos ICtorum a *Cel.* Savignio excitatos contuli Car. Christ. Woog diss. *de hereditate sacrorum privatorum.* Lipsiae 1738. 4. editam, ita comparatam esse arbitror, ut facile ea in loco Ciceronis interpretando carere possimus. Ac primum quidem ejus dissertationis auctor juris parum consultus brevissime tantum locum Ciceronis explicuit. Deinde juris non tantam habuit rationem, quanta ejus in hac certe materia, quae, nisi quis juris hereditarii Romanorum habeat cognitionem, explicari bene non potest, habenda omnino fuisset. Quae a *Cel.* Savignio *l. l.* in interpretatione ejus loci praestita sunt, meis laudibus longe sunt superiora atque ita a recentioribus ICtis agnita, ut, qui a hujus Viri Celeberrimi sententia recesserit, equidem noverim neminem. Savignius tamen eo tempore hanc materiam excoluit, quo Gaji Institutiones nondum repertae erant. His contineri nonnulla arbitror, quibus ad locum Ciceronis melius intelligendum afferri aliquid posse videtur. Praeterea Savignii sententia et si non vacillat, tamen impugnari nonnullis rationibus potest. In primis fundamentum, quo stabilita est illius sententia, non ita firmum esse videtur, ut omnes, quae eo nituntur, conclusiones omni modo probari possint. Quam ob rem ego ad eum locum accessi explicandum, non quo ICtum celeberrimum docerem, quae ex Gaji Institutionibus de sacris privatis disci possent, sed rationes, quae me prohibent, quominus illi omnia assentiar, propositurus.

§. 2.

Sacrorum privatorum, quae in salutem singulorum hominum ac familiarum celebrabantur, summa apud Romanos erat observatio. Cura eorum Pontificibus erat demandata, qui quavis ratione interitum sacrorum avertere studebant, ne is familiae ipsi perniciei esset. Utrum legibus XII Tabularum cautum fuerit, ut sacra privata perpetua manerent, an non, equidem definire non audeo. Nam licet Cicero *de Legg. II.* 9. verba legis haec retulerit: *Sacra privata perpetua manento*, tamen exinde colligi nondum potest, ea esse genuina legum XII Tabularum verba, quia Cicero non harum legum verba refert, sed leges a se ipso excogitatas, de quibus *l. l. cap.* 8. „*Sunt certa legum verba,*" inquit, „*neque ita prisca, ut in veteribus XII sacratisque legibus; et tamen, quo plus auctoritatis habeant, paulo antiquiora, quam hic sermo est.*" Nihilosecius probabilius est, lege XII Tabularum de sacris privatis perpetuo conservandis fuisse aliquid statutum, quam Pontifices sua auctoritate id effecisse, ut sacrorum interitus cuilibet omni modo avertendus esse videretur. Nam ex verbis Ciceronis *de Legg. II.* 19. „*De sacris autem, qui locus patet latius, haec sit una sententia, ut conserventur semper, et, ut in lege posui, perpetua sint sacra. Hoc posito haec jura Pontificum auctoritate consecuta sunt, ut, ne morte patrisfamilias sacrorum memoria occideret, iis essent adjuncta, ad quos ejusdem morte pecunia venerit,*" nihil aliud apparet, quam Pontifices sua auctoritate necessitatem sacra privata continuandi

cum patrimonio conjunxisse, nec vero illud intelligitur, Pontifices eam habuisse vim, ut omnibus persuasissent, omni modo esse prohibendum, quo minus sacra extinguerentur. Quod cum ita sit, persuasum nobis esse potest, legibus XII Tabularum praeceptum de sacris privatis perpetuo conservandis fuisse comprehensum. Ut autem perpetua essent sacra, nihil melius excogitare potuerunt Pontifices, quam ut ei, ad quem post mortem patrisfamilias pecunia venisset, onus sacrorum imponerent. Quod sola eorum auctoritate, nulla lege factum est, uti perhibet CICERO *de Legg. II.* 21. Neque vero in eo substiterunt Pontifices, ut sacra cum pecunia conjungerent, verum etiam classes personarum constituerunt, ad quas deinceps onus sacrorum devolveretur.

§. 3.

De pecunia, cui sacra Pontificum auctoritate alligata sunt, *Cel.* SAVIGNIUS recte monuit *l. l. pag.* 363. *not.* 3. pecuniam hoc loco non eo sensu accipiendam esse, quo plerumque sumi soleat, ut significet nummos, sed intelligi ea omnia debere, quae in bonis hominis cujusdam reapse contineantur. Quod quam verum sit, fugere potest neminem, qui locos a SAVIGNIO laudatos, veluti *L.* 5. *pr. L.* 178. *pr. L.* 222. *D. de Verb. Significat.* L. 16. vel obiter adspexerit. Nec vero cujusvis generis patrimonio sacra adstricta fuisse SAVIGNIUS arbitratur. Imo ad id patrimonium, quod defuncti ex jure Quiritium fuit, onus sacrorum tantum refert. Ad quam sententiam confirmandam ex tributis,

quae similiter non ex omnibus bonis, sed ex eo tantum patrimonio, quod cujusque ex jure Quiritium fuerit, debuerint praestari, argumentum repetiit. De antiquissimo tempore SAVIGNIO assentior. De eo enim cum Viro Celeberrimo certare prorsus inutile, ne dicam, absurdum esset, quia GAJO auctore *Inst. Comm. II.* §. 40. *sq.* Romani ab initio, ubi nullum cum peregrinis habebant commercium, unum tantum dominium idque ex jure Quiritium noverant. Ex quo autem inter dominium ex jure Quiritium et id, quod vulgo dicitur, bonitarium discerni coeptum est, causam, cur dominio tantum ex jure Quiritium sacra injuncta fuerint, video nullam. Nam argumentum illud ex similitudine tributorum, quae eadem ex iis tantum bonis, quae quisque ex jure Quiritium possideret, solvi debuerint, a *Cl.* SAVIGNIO repetitum, tantam vim, quantam ei Vir Celeberrimus attribuit, habere nullo modo potest, quia conclusio a tributis ad sacra privata, rem, ut opinor, a tributis valde alienam, nimis alte petita esse videtur. Licet enim rei publicae referret, sacra privata conservari, tamen multo magis eorum conservatio cuilibet patrifamilias cordi esse debebat, ne interitu sacrorum Dii familiares laederentur. Quodsi rei publicae tantum interfuisset, sacra conservari, quantum ejus referebat, tributa solvi, haud scio an legibus etiam sacra privata arbitrio privatorum eximenda et sumtu publico ex tributis civium erogando administranda fuissent. Certe Pontificum auctoritati neque omnia tribuenda erant, neque ICtis permittendum, ut variis machinationibus cives sacris liberarent. Accedit,

quod quo tempore Pontifices sacra privata cum patrimonio conjunxerunt, tributa a civibus non amplius exigebantur. Utramque sententiam et antiquiorum Pontificum et SCAEVOLAE manifesto post Legem Voconiam de anno urbis. 585. propositam esse ex eo patet, quod qui ex hac Lege tantum legato acceperat, quantum omnibus heredibus esset relictum, is sacris alligabatur. Jam vero anno urbis 586. auctore CICERONE *de Off. II.* 22. tantum auri et argenti pondus finito bello Macedonico a L. AEMILIO PAULO in aerarium relatum est, ut ab eo inde tempore tributa a civibus exigi desierint. CICERO *l. l.* „*Omni Macedonum gaza,*“ ait, „*quae* „*fuit maxima, potitus est Paulus: tantam in ae*„*rarium pecuniam invexit, ut unius imperatoris* „*praeda finem attulerit tributorum.*“ Quae civium a tributis immunitas teste PLUTARCHO *Aemil. Paul. cap.* 38. usque ad HIRTII et PANSAE Consulatum duravit. Quod cum ita sit, quomodo a tributis, quae eo tempore, quo sacra privata Pontificum auctoritate cum patrimonio conjuncta sunt, non amplius a civibus exigebantur, ad sacra argumentum depromi potest?

§. 4.

Praeterea ex iis personarum classibus, ad quas ex antiquiorum Pontificum et SCAEVOLAE sententia onus sacrorum devolvebatur, nihil aliud derivare poteris, quam eum tantum, qui majorem partem patrimonii ejus, qui mortuus fuerit, acceperit, vel ex eo aliquid fuerit lucratus, sacris alligari. Prima classe heredes ad sacra continuanda coguntur; sacra

commune omnium heredum onus sunt, nec interest aliquid, utrum major an minor hereditatis pars singulis heredibus cesserit. In quo contradicere *Cl.* SAVIGNIO nunquam audebo. Sed heredes sacris defuncti non ideo obligantur, quia res, quae defuncti ex jure Quiritium fuerunt, etiam eorum ex jure Quiritium fiunt, sed quia in universum jus defuncti succedunt. Alioquin etiam inter heredes ei, qui maximam partem patrimonii, quod defuncti ex jure Quiritium fuisset, acquisivisset, sacra et si non soli, at certe maximam partem fuissent imponenda. Jam si ad reliquas personarum, quae sacris onerantur, classes animum advertimus, ad majorem patrimonii partem sacra esse alligata neque inter res, quae ex jure Quiritium et in bonis defuncti fuerint, a Pontificibus discerni consuevisse probabile reddi potest. Secunda classe legatariis partiariis, qui tantum legato acceperunt, quantum omnibus heredibus relictum est, onus sacrorum injungitur. Ex eo derivaverit quispiam, his legatariis ideo sacra esse imposita, quod legatum fuerit modus dominium ex jure Quiritium in alterum transferendi. Quod si haec tantum causa fuisset legatarios sacris alligandi, quia dominium ex jure Quiritium acquisiverant, profecto *Cel.* SAVIGNIO omnia essent concedenda. Atqui legatum dominium, quod defuncti fuit ex jure Quiritium, non transfert in alterum, nisi sit vindicationis modo relictum. Legato autem damnationis et sinendi modo relicto tum res, quae in bonis defuncti tantum fuit, tum aliena, quae ab eo id non ignorante fuit possessa, comprehenditur. Sic ergo, si, ut *Cel.* SAVIGNIUS

opinatur, patrimonio ex jure Quiritium sacra essent alligata, legatarius, qui tantum legato acceperat, quantum omnes heredes, tum demum sacris adstringebatur, quum legatum per vindicationem esset relictum. Jam vero si legato damnationis aut sinendi modo tantum erat relictum, quantum penes omnes heredes remanserat, legatarius sacris liberabatur, quia dominium, quod defuncti fuerat ex jure Quiritium, non ipse acquirebat, sed adversus heredem, qui erat dominus, agere debebat, ut sibi res legatas manciparet aut in jure cederet. Nec vero id in legato partitionis admitti et existimari potest. Hoc enim legatum per se res diversi generis continebat, tum eas, quae ex jure Quiritium, tum eas, quae in bonis defuncti fuerunt, neque eam vim habere poterat, ut earum rerum, quae in bonis defuncti fuissent, dominium ex jure Quiritium statim ad legatarium pertineret, quia testatori plus, quam ipse habuit, legato in alterum transferre non licebat. Quid ergo? si portiones heredum et legatarii erant aequales, sed heredum portiones plures res, quae testatoris ex jure Quiritium fuerant, quam pars legatario relicta, continebant, num cum *Cl.* SAVIGNIO discriminis dominii in sacris imponendis habebis rationem et heredibus solis sacra injungenda censebis, quia partes eorum plures res in dominio testatoris ex jure Quiritium antea constitutas continebant, quam pars, quae legatario cessit, et legatarium sacris liberabis, licet pars ejus aequalis esset omnibus heredum portionibus, eam solum ob causam, quia pauciores res, quae pleno jure defuncti fuerant, ea comprehen-

debantur, quam heredum portionibus? Quod non crediderim. Ita certe neque antiquiores Pontifices distinxerunt, neque SCAEVOLA distinxit: imo nulla dominii discriminis ratione habita ei sacra imposuerunt, qui morte testamentove tantum acceperit, quantum omnes heredes.

§. 5.

Tum qui tertia classe ad sacra continuanda obligantur, qui plurimum ex bonis defuncti usuceperunt possidendo, non ideo sacris adstringuntur, quia dominium earum rerum, quae defuncti fuerunt, ex jure Quiritium acquirunt, sed eam ob causam, quia ante, quam annua possessione usucepissent res defuncti, heres adhuc res defuncti adita hereditate ab iis poterat vindicare. Nam quia antiquo jure heredes ad adeundam hereditatem non cogebantur, nisi spatium cretionis testator iis constituisset, licebat iis, adeo instantibus creditoribus, de adeunda vel omittenda hereditate deliberare, quamdiu ipsi vellent. Ne tamen justo diutius deliberarent, usucapione pro herede erat provisum. Quia enim cuilibet permittebatur, rem hereditariam atque adeo totam hereditatem occupare eamque annua possessione ita acquirere, ut pleno ejus jure fieret, heres, si hereditatem acquirere vellet, mature ante quam annus esset praeterlapsus, adire debebat, ne dominio rerum hereditariarum privaretur. Quodsi omiserat hereditatem, tum sacris onerabatur, qui plurimum pro herede usuceperat, nec vero, quia dominus rerum ex jure Quiritium erat, sed quia antea erat incertum, utrum heres aditurus esset necne.

Quos eadem classe ad sacra suscipienda cogi *Cl.* Savignius *l. l. pag.* 367—373. arbitratur bonorum possessores, si bona defuncti pro herede usuceperint, eos huc non esse referendos infra pluribus erit demonstrandum.

§. 6.

Quarta classe ex Scaevolae sententia sacris alligatur, qui plurimum creditoribus servavit sive bonorum emtor, quem *Cel.* Savignius esse eum, qui creditoribus plurimum servare dici possit, recte meo quidem judicio, censuit. Hic autem sacris adstringitur, quia successor per universitatem est, nec vero propterea, quia dominium earum rerum, quae debitoris fuerunt, ex jure Quiritium acquirit, sicuti heres. Nam ex Gaji *Inst. Comm. III.* §. 80. ubi de bonorum emtoribus haec leguntur: *Neque.. bonorum possess......... pleno jure fiunt, sed in bonis efficiuntur ..,. autem ita demum acquiruntur, si usucapiuntur:* licet locus mutilus sit, tamen hoc potest derivari, bonorum emtorem earum rerum, quas debitor habuerit, non fieri pleno jure dominum, sed usucapione demum dominium ex jure Quiritium posse noncisci. *Cel.* Savignius quidem *l. l. pag.* 375. contrariam fovet sententiam et bonorum emtorem, qui maximam debitae pecuniae partem creditoribus obtulerit, debitoris heredem fuisse existimat, ita ut bonorum emtio majorem, quam bonorum possessio, atque adeo eandem, quae hereditati tribuitur, vim in transferendo ex jure Quiritium dominio habuerit. Cujus sententiae rationes has profert. Ac primum quidem naturae

addictionis jure antiquo fundatae, cui in bonorum venditione locus fuerit, hoc tribuit, ut bonorum emtor dominus rerum debitoris ex jure Quiritium fiat. Id quod ex eo sequi ipsi videtur, quod bonorum emtioni perinde atque in jure cessioni addictio a magistratu facta communis sit, ideoque etiam vim in transferendo ex jure Quiritium dominio eandem habere debeat. Deinde ad Varronis provocat auctoritatem, qui *de re rust. II.* 10. inter varios, quibus dominium ex jure Quiritium acquiratur, modos etiam bonorum venditionem commemoret his verbis: *In emtionibus dominum legitimum sex fere res perficiunt: si hereditatem justam adiit; si ut debuit, mancipio ab eo accepit, a quo jure civili potuit, aut si in jure cessit, cui potuit cedere et id ubi oportuit, aut si usu cepit, aut si e praeda sub corona emit, tumve cum in bonis sectioneve cujus publice venit.* Varroni certe Theophili auctoritatem postponendam esse *Cel.* Savignius censet, licet ille ad *pr. Inst. de success. sublat.* III. 13. bonorum emtionem successionem per universitatem praetoriam esse dixerit. Nam Theophilo in ejusmodi doctrina, quae ejus aetate jamdudum fuerit antiquata, tantam fidem habendam esse *Ill.* Savignius negat, quia facile fieri potuerit, ut locis ex libris ICtorum depromtis deciperetur, veluti *L.* 4. §. 21. *D. de fideicommiss. libertat.* XL. 5. ubi Ulpianus scribit: *Is autem, cui bona addicta sunt, bonorum possessori assimilari debet.* Quae Ulpiani verba de addictione bonorum libertatum servandarum causa a M. Aurelio introducta agere *Ill.* Savignius recte monuit;

cui etiam in eo adstipulor, quod ea addictione, utpote jure recentiori civili fundata dominium ex jure Quiritium transferri non potuisse putat. Sed hae rationes, quibus *Cl.* SAVIGNIUS usus est, ut bonorum emtionem acquisitionem dominii ex jure Quiritium esse comprobaret, ad veritatem sententiae illius confirmandam vix sufficere videntur. Quod ad primum illius argumentum ex natura addictionis jure antiquo fundatae repetitum attinet, hoc obstat, quod bonorum venditio auctore quidem Praetore et venia ab eo impetrata, nec vero per ipsum Praetorem celebrabatur. Praetor enim magistrum bonorum a creditoribus eligi jubebat, qui bona debitoris obaerati vendenda curaret. Atque in ipsa bonorum venditione Praetor non ipse bona ei, qui creditoribus maximam pecuniae debitae partem obtulerat, addicebat, sed per magistrum bonorum addici jubebat. Quod ex GAJI *Inst. Comm. IV.* §. 79. colligi potest, ubi haec leguntur: *Si quidem vivi bona veneant, jubet ea Praetor per dies continuos triginta possideri ac proscribi; si vero mortui, post dies quindecim. Postea jubet convenire creditores et ex eo numero magistrum creari, id est, per quem bona veneant. Itaque si vivi bona veneant, in diebus .... jubet, si mortui, in ....; nam vivi bona triginta, mortui vero viginti emtori addici jubet.* Quodsi Praetor ipse bona addixisset emtori, haud scio an cum *Cel.* SAVIGNIO in eo consentirem, ut cum eo ejusmodi addictione dominium ex jure Quiritium in emtorem transferri arbitrarer. Sed quum Praetor bona per magistrum addici emtori

juberet, magister igitur nomine creditorum bona addiceret, fieri non potuit, ut addictione ab homine privato facta emtor dominium rerum debitoris ex jure Quiritium nancisceretur. Alioquin necesse esset, ut confiteremur, etiam in cessione in jure addictionem ab homine privato jussu magistratus, apud quem erat legis actio, factam eandem vim dominii ex jure Quiritium in alterum transferendi habuisse, quam addictio ipsius magistratus haberet. Quod vix erit quisquam, qui sibi persuaserit. Neque secundo argumento, quod *Cel.* Savignius ex loco Varronis *de re rust. II.* 10. derivavit, tanta fides, quantam ei Vir Celeberrimus tribuit, haberi posse videtur. Nam Varro, ut opinor, quum dominum ex jure Quiritium aliquem ejus rei, quae in bonis sectioneve cujus publice venierit, fieri dixerit, non de emtione bonorum, quae successio per universitatem est, sed de emtione rerum singularum sub hasta publica cogitavit. Etenim de publica venditione et de sectione bonorum Varro locutus est. Sectio autem bonorum dicitur publica rerum poenae causa a domino ad rem publicam devolutarum vel alia ex causa ad rem publicam pertinentium venditio, quae nomine rei publicae sub hasta publica celebratur. Quod ex variis scriptorum locis demonstrari potest. Sic Florus *Lib. II. cap.* 6. scribit: *Parva res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax, quod illis ipsis, quibus obsidebatur, diebus ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romae fuit hastaeque subjectus invenit emtorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari subjecitque*

argentarias Urbis tabernas; nec sector inventus est. Sic CICERO in *Orat. pro Rosc. Amer. cap.* 29. de venditione bonorum, quae ad proscriptos pertinuerant et in publicum redacta fuerant, loquitur; ea hastae subjecta esse dicit et emtores *sectores* appellat. Idem in *Phil. II. cap.* 26 *et* 29. ANTONIUM bonorum POMPEJI voci acerbissimae praeconis subjectorum, ergo sub hasta venditorum *sectorem* vocat. Et ASCONIUS PEDIANUS ad *Cic. in Verr. I. cap.* 23. haec adnotavit: *Sectores autem dicti sunt, qui spem sui lucri secuti bona condemnatorum semel auctionabantur, quique iis pecunias pensitabant singulis ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo venditabant.* Quod ASCONIUS de bonis condemnatorum scribit, non de iis intelligendum est, qui in causa pecuniaria condemnati sunt, sed de reis criminis judicio publico damnatis, quorum bona in publicum redigebantur. Unde intelligitur, sectionem bonorum esse acquisitionem rerum singularum ex jure civili eamque cum venditione bonorum, quae nomine creditorum per magistrum bonorum fiebat, nequaquam esse confundendam. Ac si qua etiamnunc dubitatio superest, ea a GAJO removetur, qui *Inst. Comm. IV.* §. 145 et 146. scribit: *Bonorum quoque emtori similiter proponitur interdictum, quod quidam possessorium vocant. Item ei, qui bona publica emerit, ejusdem conditionis interdictum proponitur, quod appellatur sectorium, quod sectores vocantur, qui publice bona mercantur.* Quo loco qui clarius emtionem et sectionem bonorum discernat, vix ullus reperietur. Quid

enim causae esset, si inter utramque nihil interesset, cur emtori et sectori bonorum diversa adipiscendae possessionis interdicta a Praetore concederentur? Neque argumentum, quo probetur, Varronem, quum de sectione bonorum loqueretur, bonorum debitoris obaerati venditionem nomine creditorum faciendam intellexisse, ex eo repeti potest, quod in Lege XII. Tabularum creditoribus, quibus satisfacere debitor non possit, partes *secare* permittitur et, si plus minusve *secuerint*, id iis sine fraude esse jubetur. Licet enim fuerint, qui sectione hoc loco intelligendam esse bonorum venditionem per creditores existimaverint, tamen alii, in iisque jam veteres locum de sectione corporis debitoris in partes interpretati sunt; quorum interpretatio mea quidem sententia praerogativam ideo merere videtur, quia bonorum debitoris obaerati venditio non Legi XII. Tabularum originem debet, sed juri honorario. Eam auctore Gajo *Inst. Comm. IV.* §. 35. Praetor Publius Rutilius introduxit. Quod cum ita sit, neque sectio partium, quae in XII. Tabulis permittitur, movere nos potest, ut sectionem et venditionem bonorum ab initio non diversam fuisse nobis persuadeamus. Ita ergo loco Varronis laudato sectio significat publicam rerum publicarum venditionem sub hasta celebrandam, non bonorum debitoris venditionem nomine creditorum faciendam. Et si revera Varro *l. l.* de bonorum debitoris venditione locutus esset, tamen non dubitarem, quin Gaji ICti auctoritas esset ei anteponenda, quandoquidem facile potuerit fieri, ut Varro, homo quamvis ingentis doctrinae, tamen circa verborum pro-

prietatem minus fuerit curiosus, quum ICti, quorum summum laborem circa verborum proprietatem esse QUINCTILIANUS *Instit. Orat.* V. 14. scribit. Denique, quod THEOPHILUS ad *pr. Inst. de success. sublat.* III. 13. scripsit, bonorum emtionem esse successionem per universitatem praetoriam, contra *Ill.* SAVIGNIUM erroris eum accusantem auctoritate GAJI defenditur, qui *Inst. Comm. IV.* §. 35. auctorem ejus PUBLIUM RUTILIUM Praetorem esse perhibet. Accedit, quod ex aliis ejusdem GAJI locis monstrari potest, bonorum emtionem simillimam bonorum possessioni fuisse. Ita neque bonorum possessor neque bonorum emtor dominium rerum, quae antecessoris fuerant, ex jure Quiritium acquirunt, sed eas in bonis tantum habent, ita ut pleno eorum jure non fiant, nisi sint usucaptae. Uterque heres non est, sed loco heredis et heres esse fingitur, quia Praetor heredes facere non potest; itaque uterque actionibus utilibus et agit et convenitur. Cf. GAJI *Inst. Comm.* III. §. 32. 80. IV. §. 34. 35.

§. 7.

His rationibus, praecipue ex bonorum emtoris exemplo depromtis, conjecturae *Ill.* SAVIGNII, ex qua solum patrimonium, quod quis ex jure Quiritium possidet, sacris oneratur, locus esse meo quidem judicio non potest. Imo majori parti patrimonii plerumque sacra alligata sunt, nec interest aliquid, utrum haec in bonis tantum sit, an ex jure Quiritium possideatur. Quae cum ita sint, etiam classes personarum, ad quas cum patrimonio sacra privata devolvuntur, aliter definiendae sunt

atque id *Cel.* Savignius fecit. Ante vero, quam definiamus, quaenam personae his classibus ex Scaevolae sententia sacris adstringantur, necesse est, ut sententiae antiquiorum Pontificum rationem habeamus. De eorum sententia Cicero *de Legg.* II. 20. haec scribit: *Haec nos a Scaevola didicimus; non ita descripta ab antiquis. Nam illi quidem his verbis docebant, tribus modis sacris adstringi: hereditate, aut si majorem partem pecuniae capiat, aut si major pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit.* Ita ergo ante M. Scaevolam res sese habebat, ut primo loco sacra ad heredes omnes devolverentur, deinde ad eos, qui, si heres non esset, plurimum ex bonis defuncti pro herede usucepissent, denique ad eos, quibus major pars pecuniae legata esset. Atque ad legatarium partiarium sacris onerandum sufficere Pontifices arbitrabantur antiquiores, si legati sibi relicti vel minimam partem cepisset. Quod ex eo etiam patet, quod Cicero *l. l. cap.* 21. scribit, ad legatarium a sacris liberandum nihil profuisse, si legatarius minus cepisset, quam ei esset relictum, ex antiquiorum certe sententia, licet Scaevola contrarium defenderit. Verba haec sunt: *Quid huc accessit ex jure civili? partitionis caput scriptum caute, ut centum nummi deducerentur. Inventa est ratio, cur pecunia sacrorum molestia liberaretur. Quod si hoc, qui testamentum faciebat, cavere noluisset, admonet Jurisconsultus hic quidem ipse Mucius, pontifex idem, ut minus capiat, quam omnibus heredibus relinquatur. Superiores dicebant, quicquid cepisset, adstringi.*

Lectio loci supra laudati: *aut si major pars pecuniae legata est, si inde quippiam ceperit*, omnino probanda est, neque ita mutanda, ut in Codd. MSS. nonnullis posita est, *aut si inde quippiam ceperit*, tum quia tribus, non quatuor modis ex antiquiorum Pontificum sententia sacris quis adstringi potest, tum quia ad legatarium partiarium sacris onerandum satis fuisse probavimus, si minimam legati partem accepisset.

§. 8.

At vero M. Scaevola, Pontifex Maximus alium ordinem personarum, quae, quia patrimonium accipiunt, sacris onerantur, excogitavit et effecit, ut antiquiorum Pontificum sententia negligeretur. Locus classicus est apud Ciceronem *de Legg.* II. 19. Verba sunt: *Quaeruntur, qui adstringantur sacris. Heredum causa justissima est. Nulla est enim persona, quae ad vicem ejus, qui vita emigraverit, propius accedat. Deinde, qui morte testamentove ejus tantundem capiat, quantum omnes heredes. Id quoque ordine. Est enim ad id, quod propositum est, accommodatum. Tertio loco, si nemo sit heres, is qui de bonis, quae ejus fuerint, quum moritur, usu ceperit plurimum possidendo. Quarto, qui, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus ejus plurimum servet. Extrema illa persona est, ut is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.* Quaenam personae his classibus sacris onerentur, multi explicare studuerunt.

Nostra memoria *Ill.* SAVIGNIUS id fecit, conjectura nisus, ex qua cum patrimonio, quod ex jure Quiritium possidetur, sacra juncta sunt. Quam conjecturam cum antea impugnaverimus eamque probari non posse ostendere ausi fuerimus, fieri non potest, quin alias personas iis classibus contineri arbitremur, atque eas, quas *Ill.* SAVIGNIUS iis comprehendit.

§. 9.

Primum SCAEVOLA auctore sacris omnes heredes alligantur. Quotam quisque heres hereditatis partem acceperit, nihil interest. Voce heredum hoc loco *Cel.* SAVIGNIUS *l. l. pag.* 365. heredes civiles, non bonorum possessores intelligendos esse censet, eosque tertia demum classe, ad sacra continuanda putat obligari, si de bonis, quae defuncti fuerint, usuceperint. Neque omnibus bonorum possessoribus tertia classe sacrorum onus injunxit, sed ei soli, qui plurimum de bonis defuncti usuceperit. Eandem sententiam *Cel.* HUGO in libro inscripto: *Lehrbuch der Geschichte des römischen Rechtes. pag.* 502. et 504. *not.* 5. edit. X. fovere videtur, licet perspicue non significet, num in prima an in tertia classe bonorum possessori propter sacra continuanda locum tribuat. Nam *l. l. pag.* 502. *„in „Ansehung der sacra,“ ait, „war gewiss nicht „der Unterschied, dass die bonorum possessio nicht „auch ursprünglich zu ihnen verpflichtet hätte.“* Ex quo sequi videtur, *Ill.* HUGONEM aequum censere, sicuti heredem, ita etiam bonorum possessorem prima statim classe sacris onerari. Sed si

not. 5. *pag.* 504. *l. l.* rationem habemus, ubi *Cel.* Hugo scribit: *Schon bei Plautus ist zwar der sprüchwörtliche Ausdruck: sine sacris hereditas, aber nicht im Gegensatz der bonorum possessio; denn wenn auf diese die usucapio gefolgt war, so musste der bonorum possessor auch die sacra tragen:* videmus, utrumque Virum Celeberrimum in eo consentire, bonorum possessorem sacris non alligari, nisi usucapione dominium rerum defuncti ex jure Quiritium acquisiverit. Jam vero utriusque sententia nititur conjectura antea impugnata, ex qua cum patrimonio tantum, quod ex jure Quiritium est, sacra conjunguntur. Atqui eam non recte sese habere supra probare studuimus. Ideo bonorum possessorem a prima classe eorum, qui sacris adstringuntur, excludendi hac conjectura missa rationem video nullam. Nam si dominii Quiritium in sacris alicui imponendis nulla haberi debet ratio, quid est, cur bonorum possessorem, qui etiam successor in universum jus defuncti et loco heredis est, non ita, sicuti heredem, sacris alligari arbitremur? Quid est, cur necessariam esse putemus usucapionem pro herede ad onus sacrorum ei imponendum, qui heredi civili a Praetore in omnibus fere aequiparatur? Ergo persuasum nobis esse deberet, quem Praetor necessitate debita hereditaria, interdum etiam legata solvendi onerasset bonorum possessorem, eum sacris fuisse liberatum, donec usucapio accessisset? Certe quum bonorum possessores iisdem fere commodis, quibus heredes, utantur, non iniquum erit, eos iisdem oneribus adstringi, ergo etiam sacris onerari. Ac-

cedit, quod, etsi *Ill.* Savignii conjecturam de bonorum possessore in tertia classe ad sacra continuanda obligato probaremus, tamen non intelligeremus, cur ei bonorum possessori, qui plurimum de bonis defuncti pro herede usucepisset, soli onus sacrorum imponeretur, neque illud potius pro onere communi omnium bonorum possessorum, qui res defuncti vel plures vel pauciores usucepissent, haberetur. Qua de re infra pluribus disseremus. Itaque prima classe vel heredes, si ex jure civili succeditur, vel bonorum possessores, si successio ex jure honorario ordinatur, sacris alligantur. Ceterum heres etiam is est, cui ab herede ab intestato ante quam adita est hereditas, ea in jure cessa est, quia ille hereditatem perinde acquirit, ac si ad eam lege esset vocatus. Sin autem heres ab intestato et heres scriptus hereditatem alicui in jure cedunt, certum est, eum, qui cesserit, heredem manere ideoque creditoribus teneri; et debitores liberari, eum autem, cui cessa sit hereditas jam adita, dominium singulorum corporum nancisci. Cf. Gaji *Inst. Comm.* II. §. 34—37. et *Comm.* III. §. 85—87. et Ulpiani *Fragm.* XIX. §. 12—14. Ac primo quidem casu is, cui cessa est hereditas, etiam sacra debet continuare; secundo casu sacris non obligatur; imo ea penes eum, qui cessit hereditatem, omnino remanent. Etiam hoc quaeri potest, quid de sacris factum sit, si heres, ut hereditatem alii restitueret, fuerit rogatus. Dixerit quispiam, ad eam quaestionem a nobis responderi, inutile ac supervacaneum esse, quandoquidem ante Augustum, uti ex *pr. Inst. de fideicommissar.*

hereditat. II. 23. intelligatur, heredi fideicommissum restituendi necessitas nulla fuerit injuncta. Atqui vix erit quisquam, qui negare possit, frequentem jam ante Augustum fuisse usum fideicommissorum, licet ad ea restituenda heres cogi non potuerit. In favorem potissimum feminarum, quae secundum legem Voconiam ab eo, qui centum millia aeris census esset, heredes institui non poterant, fideicommissorum restitutio heredibus injungebatur. Cujus rei exemplum Cicero *de Finibus* II. 17. his verbis refert: *Memini me adesse P. Sextilio Rufo, quum is ad amicos ita deferret, se esse heredem Q. Fadio Gallo, cujus in testamento scriptum esset, se ab eo rogatum, ut omnis hereditas ad filiam perveniret.* Hereditatis restitutio, licet ante Augustum ab arbitrio heredis penderet, tamen, si heres vir probus et honestus esset, saepissime fiebat. Quam ob rem quaeritur, quis sacris fuerit alligatus, heres, qui eam restituerit, an qui eam restitutam acceperit. Multum, ut opinor, interest, quomodo restituta fuerit hereditas. Si heres aditam hereditatem ei, cui eam restituere rogatus erat, nummo uno vendiderat, quod olim factum fuisse Gajus *Inst. Comm.* II. §. 252. testatur, dubium non erat, quin heres, maneret, ideoque tum creditoribus teneretur, quum debitores conveniret. Quapropter etiam sacra debebat continuare; quorum de impensis sibi praestandis iisdem stipulationibus cavere sibi poterat, quibus sibi cavebat, ut, si hereditario nomine esset condemnatus, aut quis cum eo ageret, indemnitas sibi praestaretur. Jam vero, si heres alteri, cui

hereditatem restituere erat rogatus, eam in jure cessit, de sacris idem dicendum est, quod antea diximus, quum de hereditatis in jure cessione loqueremur. Neque inutilem fuisse restitutionem hereditatis in jure cessione factam adeo ante aditionem a parte certe heredis ab intestato, ex eo colligi potest, quod ad fideicommissum alicui injungendum necessarium non erat testamentum, sed preces a testatore quocunque modo expressae sufficiebant ea in primis aetate, qua heres ad restituendam hereditatem omnino non cogebatur.

§. 10.

Secunda classe is, qui morte testamentove alterius tantundem accepit, quantum omnibus heredibus relictum est, sacris alligatur. Id quod de successore singulari intelligendum est, et a ICtis merito ad legatarium partiarium refertur; a *Cel.* SAVIGNIO etiam ad eum, qui non legato, sed mortis causa donatione tantundem accepit, quantum omnes heredes. Legari autem et mortis causa donari non amplius posse, quam ut legatum vel mortis causa donatio omnes partes heredibus relictas aequet, ex Lege Voconia repetendum est, quae hoc modo testamenta voluit conservare, ab heredibus propter nimia, quibus onerabantur, legata destitui solita. Legatarius ejusmodi quum jura atque onera hereditaria pro parte sibi relicta cum heredibus divideret, etiam sacris auctore SCAEVOLA adstringebatur. Cui onus sacrorum cum heredibus commune esse *Ill.* SAVIGNIUS *l. l. pag.* 366. scribit, quia heredes sacris alligentur, nulla ratione habita

portionis, quae ex hereditate ipsis obtigerit. Id quod ei omnine assentior. Nam heredes, qui cum legatario hereditatem partiri jussi sunt, sacris propterea liberari nequeunt. Illud tamen adhuc obstare videtur, quod, si onus sacrorum legatario partiario cum heredibus commune est, non erat legatario soli in secunda classe locus assignandus, sed in prima statim classe simul cum heredibus mentio ejus facienda. Alioquin Scaevola regulam falso et contra receptas cogitandi rationes proposuit, aut Cicero, qui Scaevolae sententiam retulit, negligentiae a nobis accusandus est. Quod ne fiat, ut opinor, discernendum est, utrum legatum relictum partitionis legatum sit, an rerum singularum. Legatum partitionis legatarium facit quasi heredem ideoque justum est, ut cum heredibus, quibus in plerisque causis aequiparatur, etiam sacra suscipiat. Quid vero, si res singularis fuerit legatario relicta eique ab herede tradita? Huic soli sacra imponenda esse arbitror, si heredibus, postquam creditoribus satisfecerint, nihil ex hereditate superfuerit. Fieri enim potuit, ut heres, cui tempus deliberandi ab initio esset nullum, hereditatem adiret et debitis hereditariis solutis nihil haberet et tamen legato careret legatario mature tradito. Haud scio an ita res expediri possit, ita ut necesse non sit, Scaevolam a nobis, *Ill.* Savignii sententiam sequentibus, ignorantiae artis cogitandi accusari.

§. 11.

Tertio loco, si heres non sit, sacris alligatur, qui de bonis, quae mortui fuerint, plurimum usu-

ceperit possidendo. Verbum *possidendo* in loco Ciceronis laudato quidam ex interpretamento putarunt accessisse: Goerenzius uncis inclusit, Schuetzius plane omisit. Nec vero hoc verbum omittendum est, quia frequentissima in libris ICtorum est formula loquendi: *possidendo capere, diutius possidendo capere.* Ac si quis miratur, Ciceronem dicere, *usucapere possidendo,* quoniam *usu capere* per se significet, *possessione acquirere,* mirari desinet, si usucapionis pro herede rationem habuerit, quae sola possessione nullo justo titulo et bona fide intercedente aliquem reddere solet dominum. *Cel.* Savignius *l. l. pag.* 368. verbum *possidendo* in textu retinuit; idque merito. Causam vero, cur hoc fecerit, veram esse, persuadere mihi non possum. Etenim verbum *possidendo* referendum esse ait ad bonorum possessorem eoque significari jus bonorum possessoris in rebus, quae defuncti fuerint. Cui in eo assentior, *possessionem* saepe in libris ICtorum significare tum dominium, quod vulgo dicitur, bonitarium, tum ipsam bonorum possessionem. Sic in *L.* 7. *pr. D. de damno infecto.* XXXIX. 2. locus Edicti, qui de cautione damni infecti nomine praestanda et missione in aedes ruinosas agit, sic exhibetur: *eum, cui ita non cavebitur, in possessionem ejus rei, cujus nomine, ut caveatur, postulabitur, ire, et cum justa causa esse videbitur, etiam possidere jubebo.* Ibi *possidere* denotat dominum bonitarium esse, in bonis habere. Sic *possessio* pro bonorum possessione legitur in inscriptione Tit. XV. Lib. XXXVIII. Digestorum, *quis ordo in possessionibus servetur,* in

L. 2. D. *de veteranorum et militum successione.* XXXVIII. 12. et L. 2. D. *de successorio edicto.* XXXVIII. 9. L. 9. *pr.* §. 1. *D. unde cognati.* XXXVIII. 8. Nihilosecius Cicero verbis: *qui plurimum de bonis, quae mortui fuerint, usuceperit possidendo*, bonorum possessorem non significasse videtur, licet *Ill.* Savignius ejus potissimum in tertia classe rationem habendam esse sibi persuadeat. Quod enim *Cel.* Savignius *l. l. pag.* 368—373. et bonorum possessorem et eum, qui bona hereditaria tanquam res nullius occupaverit et pro herede usuceperit, hac classe contineri putat, quod ad bonorum possessorem, nititur conjectura supra a nobis impugnata, ex qua cum dominio ex jure Quiritium sacra conjuncta esse ab eo dicuntur. Atqui antea jam probare conati sumus, patrimonio in genere nulla discriminis dominii ex jure Quiritium et bonitarii ratione habita sacra fuisse injuncta, ideoque bonorum possessorem perinde atque heredem prima statim classe sacris alligari affirmavimus, ita ut usucapionem ad onus sacrorum ei imponendum non esse necessariam putaremus. Ad quam opinionem firmandam vim non minimam illud habere videtur, quod etsi *Ill.* Savignii sententiam sequimur de loco bonorum possessori in tertia demum classe assignando, tamen nihil causae est, cur ei bonorum possessori, qui plurimum de bonis defuncti usuceperit, sacra injuncta prae reliquis fuisse arbitremur. Cujus rei ratio idonea ac sufficiens reddi vix potest. Nam bonorum possessorem loco heredis esse constat; certum est, eum pro parte bonorum, quam acceperit, creditoribus

teneri et debitores convenire, sicuti heredem. Jam vero sacra *Ill.* Savignio ipso teste commune onus omnium heredum sunt, et quid est, cur non eadem pro onere bonorum possessorum omnium communi habeamus? Certe *Cel.* Savignius minus recte fecisse videtur, qui quum bonorum possessori, qui maximam partem bonorum usuceperit, sacra soli injunxerit, non idem statuerit de herede, cui maxima hereditatis portio obtigerit. Quod cum ita sit, bonorum possessores prima statim classe perinde atque heredes sacris obligantur, neque interesse aliquid videtur, utrum majorem, an minorem bonorum partem quisque eorum acceperit. Hoc suadet et probabile reddit heredum exemplum, praesertim quum ad bonorum possessorem sacris onerandum necessarium non sit auxilium usucapionis. Sic ergo, qui tertio loco sacris oneretur, nemo superest, nisi qui, quum neque heres, neque bonorum possessor sit, plurimum ex bonis defuncti, quae nullius esse existimantur, pro herede usuceperit. Pro herede usucapere quis possit et quibusnam rationibus ita usucapere res hereditarias cuivis liceat, Gajus *Inst. Comm.* II. §. 52—58. perspicue exponit. Eum, qui res hereditarias deliberante de adeunda hereditate herede apprehenderit, sacris non prius alligari, quam eas res annua possessione usuceperit, inde explicandum est, quod heredi, si hereditatem mature adiisset, eas res ab extraneis occupatas necdum annua possessione usucaptas omnino licebat vindicare. Igitur si heres mature adierat, tam res vindicare poterat ab extraneis occupatas, quam sacris ipse onerabatur. Jam vero si

hereditatem repudiaverat, ea, in primis, si legitimae successionis habes rationem, erat vacans, neque aderat quis, qui sacris oneraretur, praeter eum, qui bona vacantia pro herede usuceperat. Sic causa, cur post absolutam demum usucapionem sacris alligetur rerum hereditariarum possessor, non cum *Ill.* SAVIGNIO in eo quaerenda est, quod dominium ex jure Quiritium necessarium a parte ejus fuerit ad sacra ei imponenda, sed in eo posita esse videtur, quod ante quam usucapio esset impleta, incertum erat, utrum heres mature adita hereditate res eas vindicaturus esset. Quae dubitatio post annuam possessionem cessabat. Ei autem, qui ex bonis defuncti vacantibus plurimum pro herede usuceperit, sacra soli fuisse imposita, ita, ut opinor, defendi potest. Pontifices non cum singulis rebus defuncti, sed cum patrimonio sacra conjuncta esse voluerunt. Usucapio autem pro herede erat acquisitio tam rerum singularum quam totius hereditatis. Itaque cum cuivis ex populo res singulas hereditarias vel plures vel pauciores apprehendere et pro herede usucapere liceret, fieri non poterat, quin eae res in multorum essent potestate. Quos omnes sacris onerari non solum contra regulam a Pontificibus propositam, verum etiam difficillimum fuisset, quia vix poterat sperari, fore, ut omnes, qui unam alteramve rem defuncti pro herede usucepissent, reperirentur. Ergo ignoti ii erant, qui sacris alligarentur. Quam ob rem Pontifices eum qui maximam partem bonorum defuncti pro herede usuceperat, sacris onerandum esse censuerunt, tum quia reliquos, qui hoc modo lucrum cepissent,

cognoscere difficillimum erat, tum ne sacrorum continuandorum officium, si inter nimis multas personas dispersum esset, eo facilius intermitteretur.

§. 12.

Quarto, ait CICERO *l. l. qui, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, de creditoribus ejus plurimum servet.* Hic locus in aliis editionibus inde a TURNEBO mutata interpunctione ita exhibetur: *Quarto, si nemo sit, qui ullam rem ceperit de creditoribus ejus, qui plurimum servet.* Quae interpungendi ratio manifesto falsa est. Nam CICERO tertia classe sacris non dicit eos onerari, qui creditores defuncti fuerint et res ejus acceperint, sed eos, qui pro herede plurimum ex bonis defuncti usuceperint possidendo. Interpretatio hujus loci difficillima plerisque visa est. Nam, uti locus nunc sese habet, non aliter explicari potest, quam ita, ut eum creditorem defuncti, qui maximam pecuniae sibi debitae partem acceperit, sacris putemus onerari. Nec vero probari illud potest. Quid enim iniquius est, quam creditorem qui etsi maximam pecuniae sibi debitae partem acceperit, tamen aliquid amittat, sacris debitoris alligari, quae ipsi non modo commodum nullum afferant, sed etiam impensas exigant a creditore faciendas? Sic BALDUINUS in *Jurisprud. Muciana* (in HEINECII *Jurisprud. Rom. et Att. T. I. pag.* 472.) scribit: *Non tam miror usucapientem, prope ut heredem, sacris alligari, quam (quod quarto tamen loco dixit Scaevola) creditorem quoque iis adstringi, qui plurimum servavit.... quod creditor etiam oneretur alienorum*

sacrorum sumtibus et impensis; hoc vero durum est. Longe aliam interpretandi rationem secutus est Woog in Diss. *de hereditate sacrorum privatorum.* §. 11. Hic enim, postquam exposuit, quaenam conditio fuerit apud Romanos debitorum, qui creditoribus non satisfecerint, ex Lege XII Tabularum, sacris privatis eos creditores onerari existimat, quibus debitor addictus sit, itaque sacris debitorum melius, quam vitae dicit esse prospectum. Sed quis est, quin, si creditor, cui debitor addictus esset, sacris ejus esset alligatus, eandem iniquitatem reprehenderit, cujus accusandus esset Scaevola, si creditorem, qui plurimum servasset, sacris voluisset alligari. Quam ob rem probanda est *Ill.* Savignii sententia, qui praepositione *de* ex textu eliminata locum ita legit: *Quarto, qui, si nemo sit, qui ullam rem ceperit, creditoribus ejus plurimum servet.* Creditoribus autem plurimum servare *Ill.* Savignius recte dicit bonorum emtorem, qui creditoribus maximam partem pecuniae debitae se soluturum esse promiserit, cuique a magistro bonorum nomine creditorum bona debitoris fuerint addicta. Hic merito sacris onerabatur, tum quia successor erat in universum debitoris jus et heredis loco habebatur, tum quia saeris sese alligari queri non poterat, quum impensarum ad sacra continuanda necessariarum rationem habere antea deberet, quam creditoribus partem quotam pecuniae debitae offerret. Praeterea si *Ill.* Savignio auctore bonorum emtorem sacris onerandum censemus, non intelligimus, quomodo dici possit, unum ex creditoribus plurimum, ergo plus, quam reliquos servare,

quum bonorum emtor non singulis diversam pecuniae debitae partem, sed omnibus eandem sese soluturum promitteret. Ceterum vix est, quod moneam, bonorum emtorem statim, postquam bona ipsi addicta fuerint, sacra suscipere debuisse, neque opus fuisse, ut sacris obligaretur, usucapione, qua dominium rerum debitoris ex jure Quiritium sibi compararet. Neque enim propterea, quod dominium ex jure Quiritium acquirit, sed quia in universum jus defuncti succedit, sacris alligatur.

§. 13.

Quinto loco sacris obligantur debitores, qui creditoris morte necessitate pecuniae solvendae liberantur, quia nemo adest, cui eam solvere possint. Atque hi finguntur pecuniam, quam ita lucrantur, nunc demum ex defuncti patrimonio accepisse. Cicero enim, *Extrema illa persona est,* ait, *ut is, qui ei, qui mortuus sit, pecuniam debuerit, neminique eam solverit, proinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit.* Ceterum, ut debitores sacris onerentur, multa antecedant necesse est. Neque enim heres, neque bonorum possessor adesse debet, cui pecunia solvi possit; neque corpora hereditaria debent existere, quae qui pro herede usuceperit, sacris queat alligari, neque creditores, qui, ut sibi satisfiat, bona defuncti vendant. Tum enim revera dici potest, qui sacra suscipiat et pecuniam defuncto debitam persequatur, adesse neminem. Jam vero si heres legitimus vel scriptus hereditatem jam aditam alii in jure cesserit, debi-

tores quidem auctoribus Gajo *Inst. Comm.* II. §. 35—36. et *Comm.* III. §. 85. et Ulpiano *Fragm.* XIX. §. 13—14., obligationibus liberantur, nec vero sacra coguntur continuare, quia heres etiam postea, quam cessit, heres manet et creditoribus tenetur.

§. 14.

Haec de classibus personarum, quae ex Scaevolae sententia sacris defuncti alligantur. Idem autem Scaevola, qui tanta industria eas classes definivit, varias excogitavit vias, quibus legatarius partiarius, cui tantundem relictum esset, quantum omnes heredes accepissent, sacris liberaretur. Unde Cicero queritur, cognitionem juris civilis juri sacro esse perniciosissimam, quia per ICtos Pontificum auctoritas intervertatur. Atque eam ob causam Scaevolam non injuria videtur vituperare, qui quamvis Pontifex maximus esset, tamen jus Pontificium ab ipso excultum juris civilis peritia ductus variis machinationibus eludere ac circumvenire soleret. Ac primum quidem Scaevola testatoribus, si legatarium sacrorum onere liberari vellent, suasit, ut ipsi in testamento legatum relinquerent parte aliqua de eo deducta, qua efficeretur, ut legatarius minus acciperet, quam heredibus omnibus esset relictum. Quod si testator hoc omiserat, legatarius ipse sacris sese poterat ita liberare, ut aliquid de legato remitteret atque ita minus caperet, quam omnes heredes. Haec autem legatarium liberandi ratio nihil ipsi ex antiquiorum Pontificum sententia profuisset. His enim auctoribus

legatarius sacra omnimodo suscipere debebat, modo legati sibi relicti vel minimam partem accepisset. Scribit Cicero *l. l. cap.* 21. *Superiores dicebant, quicquid cepisset, adstringi.* Ex quo autem Scaevolae sententia praevaluit, ut legatarius minus capiendo, quam sibi relictum esset, sacris liberaretur, cavere eo mortuo heredes ejus debebant, se, quod defunctus non exegerit, etiam minime esse exacturos. Nam si ex heredibus legatarii unus id, cujus exactionem defunctus, ut sacrorum onus evitaret, omiserat, exigebat, ita ut pecunia ab eo exacta cum ea, quam defunctus acceperat, tantundem efficeret, quantum omnibus heredibus esset relictum, hic solus sacris onerabatur, nec erat ei hujus oneris cum coheredibus, qui nihil exegerant, ulla omnino communio. Ita intelligenda sunt, quae Cicero *l. l. cap.* 20. scribit: *His propositis, quaestiunculae multae nascuntur, quas qui intelligat, non, si ad caput referat, per se ipse facile perspiciat? veluti, si minus quis cepisset, ne sacris alligaretur ac post de ejus heredibus aliquis exegisset pro sua parte id, quod ab eo, cujus ipse heres esset, praetermissum fuisset: eaque pecunia non minor esset cum superiore exactione, quam heredibus omnibus esset relicta: qui eam pecuniam exegisset, solum sine coheredibus sacris alligari.* Secunda ratio, qua legatarius sacris liberaretur, haec erat, ut heredem per aes et libram obligatione testamento imposita et hereditatis aditione contracta solveret atque pecuniam sibi ab eo stipularetur, ita ut ea non ex legato, sed ex stipulatione deberetur. Quo facto novata erat obli-

gatio et legatarius sacris liberabatur, quia onus sacrorum cum legato partitionis, nec vero cum pecunia ex stipulatione solvenda conjunctum erat. Hac de re scribit CICERO *l. l. cap.* 20. *Quin etiam cavent, ut cui plus legatum sit, quam sine religione capere liceat, is per aes et libram heredem testamenti solvat, propterea quod eo loco res est, ita soluta hereditate, quasi ea pecunia legata non esset.* Et *cap.* 21. *Hoc vero nihil ad Pontificium jus et e medio est jure civili, ut per aes et libram heredem testamenti solvant et eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset, si is, cui legatum est, stipulatus est id ipsum, quod legatum est, ut ea pecunia ex stipulatione debeatur* etc. In quo loco *Ill.* SAVIGNIUS *l. l. pag.* 379. memoratu dignum esse nos docuit, heredem per aes et libram officio legatum praestandi a legatario esse solutum. Eam nexi liberationem propterea necessariam esse Vir Celeberrimus scripsit, quia obligatio legati testamento per aes et libram contracta sit. Quod melius sese habet, quam quod ipse in DISS. *de C. Aelio Gallo ejusque fragmentis. pag.* 55. scripsi, locos CICERONIS modo laudatos de liberatione heredis a legato damnationis relicto esse intelligenda. GAJUS quidem *Inst. Comm.* III. §. 173 et 175. auctor est, posse aliquem praeter obligationem per aes et libram contractam etiam obligatione condemnatione judicis fundata et legato damnationis modo relicto per aes et libram liberari. Sed ea ipsa liberatio a legato damnationis modo relicto fieri non poterat, nisi legato res continerentur, quae pondere, numero et ex quorundam

sententia etiam mensura consisterent et *certum* i. e. certam quantitatem efficerent. Vix enim dubium est, quin ultima §. 175. verba: *de eo tamen tantum potest hoc modo liberari* etc. ad heredem referenda sint, quem legatarius legato damnationis liberare velit. Jam vero haec ipsa restrictio nexi liberationis ad legatum damnationis earum rerum, quae pondere, numero et mensura consistunt et certum quid efficiunt, ad legatum partitionis, quocum sacra conjuncta sunt, applicari nullo modo potest. Legatum enim partitionis, licet damnationis modo relinqui possit, tamen non admittit quantitates rerum, quae pondere, numero et mensura consistunt; imo, quia partem quotam hereditatis continet, etiam res maxime diversi generis necessario comprehendit ideoque nexi liberationem excludit. Sed quum nexi liberatione in genere omnes obligationes per aes et libram contractae tollantur, quae utrum res, quae pondere, numero et mensura consistunt, an alias contineant, nihil interest, non dubito, quin *Cel.* Savignius recte statuerit, heredem legato ideo per aes et libram esse liberandum, quia obligatio per aes et libram fuerit contracta. Alioquin si obligationibus per aes et libram contractis liberatio fieri nequivisset, nisi ex iis res, quae pondere, numero et mensura consistunt, deberentur, neque heres a legatario testamenti solvi potuisset.

§. 15.

Sic ea proposui, quae contra *Cel.* Savignii sententiam monenda esse mihi videbantur. Haud

scio, an ea ipsa regula a Pontificibus constituta possint confirmari. Pontifices enim sacra perpetua neque ullo modo interrupta esse voluerunt. Cui regulae sententia *Cel.* Savignii de sacris cum patrimonio tantum, quod ex jure Quiritium possideatur, conjungendis obstare omnino videtur. Nam si verbi causa bonorum possessor sacris non onerabatur, uti Vir Celeberrimus censuit, ante, quam rerum immobilium possessionem per biennium, rerum mobilium per annum continuaverat earumque dominium acquisiverat ex jure Quiritium, fieri non poterat, quin sacrorum continuatio per annum vel biennium esset interrupta. Quod cum regula a Pontificibus constituta conciliari vix posse arbitror. Objecerit quispiam, si heres non mature hereditatem adierit, similiter interrumpi sacrorum continuationem. At vero fugit neminem, hereditatis aditionem fictione juris ad tempus, quo mortuus testator est, retro trahi, ita ut heres, licet serius adierit, tamen statim post mortem testatoris in universum jus defuncti successisse videatur. Idem, ut opinor, in sacris continuandis existimandum est, quae hereditate adita nunquam interrupta esse finguntur. Dixerit quispiam, etiam eos, qui res hereditarias pro herede usuceperint, non prius sacris alligari, quam post annuam rerum hereditariarum possessionem, ideoque sic quoque sacra per annum non continuari. Sed causa, quae prohibet, quominus hi ante annum praeterlapsum sacris onerentur, uti supra diximus, non in necessitate dominii ex jure Quiritium ad sacrorum onus imponendum, sed in eo quaerenda est, quod ante annum incer-

tum est, utrum heres aditurus sit hereditatem, necne. Idem de debitoribus monendum est, qui, si creditor neque heredem, neque bonorum possessorem reliquerit, neque bonorum emtor extiterit, cui pecunia debita solvi possit, sacris adstringuntur. Nam finguntur eam pecuniam, quam non solvunt, statim post mortem creditoris accepisse ideoque sacra suscipere debent. Qua fictione non solum efficitur, ut debitores defuncti sacris onerentur, verum etiam sacrorum interruptio avertitur.

Jam vero ad id properandum est, quod causam scribendi mihi dedit. Contigit enim mihi, ut Friderici Augusti, Regis potentissimi Saxoniae, Patris Patriae optimi, cujus obitum tota Saxonia etiamnunc deplorat, clementia, Illustrissimorum Virorum, quorum sapientiae Academiae nostrae cura commissa est, patrocinio atque Illustris ICtorum Ordinis suffragio munus Antecessoris in hac alma literarum Universitate extra ordinem mihi demandaretur. Quam provinciam oratione *de Friderico Augusto legislatore* d. XXVI. Septembr. hor. IX. in Auditorio Juridico rite auspicatarus sum. Hujus diei solennitatem ut Vos, Rector Academiae Magnifice, Principes Celsissimi, Comites Illustrissimi, Proceres Utriusque Reipublicae Gravissimi, Commilitones Generosissimi et Humanissimi praesentia Vestra ornare et condecorare velitis, omni, qua par est, observantia ac reverentia oro rogoque.

P. P. Lipsiae. d. XX. Septembr. a. MDCCCXXVII.

